
Halle-Wittenberg, 1648


Ex-libris
Charles Atwood
Kofoid

EXERCITATIO PHYSICA.

De

TRADUCTIONE FORMARUM IN HOMINIBUS.

Quam

DEO DUCE

In Electorali Academia Wittebergensi

SUB PRÆSIDIO

VIRI

PRÆCLARISSIMI ATQUE EXCELLENTISSIMI

DN. JOHANNIS Sperlings/

PHYSICES PROFESSORIS PUBLICI LONGE CELEBERRIMI,

Dn. Præceptoris, Patroni ac Promotoris omni observantiæ cultu ætatèm devenerandi

Publicè Examinandam proponit

JOHANNES GABRIEL Lyßman/

Retzlingâ Ultzensis

In Auditorio Majori ad diem 29. Martii

horis matutinis.

WITTEBERGÆ,

Typis Johannis Röhneri, Acad. Typogr. Anno 1648.

W. Reverendo atq Praeclaro Dno Gabrieli Lysmanno Retzlingensis Pastori vigilantissimo meritissimo, Parenti Suo cum pietate les filiali amore mittit J G Lys

VIRIS

Auctoritate summâ, rerum experientia pari, nec eruditione minori, maximè conspicuis,

DN. ALBERTO ROJSACK/ Reip. Ultzensis Consuli emerito, gravissimo.

DN. HENRICO WEMARINGIO, ejusdem Reip. Consuli eminentissimo.

DN. JOHANNI WULKOVIO, laudatæ Reip. itidem Consuli dignissimo.

DN. HENRICO KROLOVIO, J. U. Candidato, Syndico laudatissimo.

DN. CHRISTIANO BESENDAHL/ ibidem Camerario Spectatissimo.

DN. JOHANNI VERSMANNO, P. L. Cæs: Prætori integerrimo.

DN. GEORGIO WILHELM, } Senatoribus dignissimis.
DN. ERNESTO AEWEIN/ }

Dominis, Mecænatibus, Patronis, Affini ac Promotoribus suis omni observantiæ cultu deverendis.

Physicam hanc Disputationem gratitudinis ergò reverenter & submissè

Offert & dedicat

JOHANNES GABRIEL Lyßman/
Respondens.

EXERCITATIO PHYSICA.

De

FORMARUM TRADUCTIONE IN HOMINIBUS.

Thesis.

I.

Turbidum æquor hoc esse censent, & innavigabile pelagus. In summas delabi nos difficultates ajũt, & ob dogmatis ambiguitatẽ, & ob autorum varietatem. At multis rebus non ex naturâ suâ, sed ex nostrâ libidine magnitudo est. Faciunt sæpè homines res difficiles, non inveniunt. Multa magna prædicant, ut magni videantur ipsi. Multa apertissimè & planissimè explicata contorquent, ac nodos atq; sophismata aculeata nectunt, ut dicantur Philosophi acuti.

II. Traducis nomen à plantis relatum est ad hominem, qui generationis opus commune habet cum iisdem. Relatum autem non à Scaligero, Traducianorum antesignano, ut loqui amat Adversarius: sed à Patribus, de quibus Hieronymus ait, *maximam Occidentalium partem in sententiâ de Traduce fuisse*. P. Martyr etiam inquit: *Habuit sententia de Traduce fautorem Tertullianum, & ex Veteribus plerosq;.* *Ep. ad Marc & Anaps.* *Loc. Com. Cl. 2. num. 50.*

III. Factum hoc est, ob analogiam. Viderunt enim, etiam hominis generationem esse sationem, esse insitionem, esse plantationem. Viderunt præstare hoc ipsum semina in matricem immissa, quod surculi stipiti infixi, quod semina terræ mandata. Viderunt à primo conceptionis initio, multas in

ſemine fieri concretiones, ſecretiones, condenſationes, rarefactiones, commutationes. Viderunt ſeptimo poſt conceptionem die, genituram habere, quæcunq; corpus habere debet, dictante Hippocrate. Viderunt, non poſſe aliter hominem generare hominem, niſi præter corpus ipſam quoq; animam, quæ dat eſſe homini, communicet. Viderunt benedictionem divinam negocium commiſiſſe naturæ, ut nec Natura ſine Deo, nec Deus ſine Naturâ agat.

IV. Ut nempè in plantarum traduce actu eſt anima, non verò cum ſurculus aut oculus in novam transformatur arborem, demum creatur à Deo immediatè: ita etiam in ſemine humano factâ conceptione actu eſt anima, & non creatur demum à Deo poſt diem quadrageſimum aut ſexageſimum. Ut in plantarum traduce novam illam plantam ipſa anima fabricat, non calor, non cœlum, non ſtellæ, non vis plaſtica ſine ſubjecto ſuo: ita in hominis ſemine corpus humanum cum omnibus partibus elaborat anima, non calor, non cœlum, non ſtellæ, non vis plaſtica ſine ſubjecto ſuo. Ut in plantarum traduce vivum à vivo, animatum ab animato, totum à toto oritur: ita mediante ſemine humano etiam vivum à vivo, animatum ab animato, homo ab homine eſt.

V. Hæc illa analogia, ob quam Traducis terminum à plantis ad hominem tulêre docti. Non fuêre neſcii ſurculi & ſeminis humani diverſas eſſe naturas: ſed commodius nomen non habuerunt, & ſimilitudines egregias ſcopum præſentem concernentes invenerunt. Rectè diſcretis rebus, non eſt ut colluctemur cum vocabulis.

p.57. VI. Adverſarius ait, *fundamentum multiplicationis per traducem à Traducianis poni Benedictionem divinam, quod Deus animalia, hominemq; ipſum, poſt creationem ſatificare & ſeſe multiplicare juſſerit.* Eſto. Ita Meiſnerus: *Deus in creatione primo homini, quemadmodum & reliquis animantibus omnibus benedixit, dicendo: Creſcite & multiplicamini, Gen. 1 v 28 cujus benedictionis vi totus homo generat totum hominem, ita quidem, ut ex ſemine corpus, ab animâ (non autem ex animâ) generetur vel potius traducatur & propagetur anima. Corpus humanum generatur à corpore,*

Phil. Sob. ſect. 3 c. 6. q. 1. p. 923.

non

non immediatè, sed mediatè, interventu nimirum seminis genitalis: anima autem ab animâ nullo interveniente medio, sed immediatè propagatur. Habent enim spirituales essentiæ istam naturam, ut (si Deo ita visum fuerit) sui sint multiplicativæ.

VII. Ita Thummius: *In dicto hoc*, Crescite & multiplicamini & replete terram, *observetur principium benedictionis A quo, & Terminus ad quem. Principium A quo erat Deus Triunus, v 28. cujus benedictio non fuit γραμματικὴ, quæ primævos nostros parentes duntaxat affecerit: sed verè fuit πραγματικὴ & maximè ἐνεργητικὴ, uti patet ex generatione animalium, quibus & benedictio fuit concessa, Gen. 8. v. 17. Terminus ad quem illa benedictio fuerat directa & facta, non erat pars tantùm hominis aliqua: sed totus homo, & animâ & corpore constans. Exinde talis emergit συλλογίζων λόγος: Quem effectum sortita est benedictio divina in animantibus brutis, eundem (certè non minorem) etiam habuit in homine primævo. Consequentia Majoris radiat; quia quam benedictionem Deus Genes. 8. v 17. conjunctim & homini & brutis animantibus concesserat, eandem postea Gen. 9. v. 1. ad solum hominem restrinxit. Atqui in reliquis animantibus benedictio divina hucusq; ita fuit efficax, ut vi & virtute ipsius quodvis sibi simile generet; Leo, leonem, aquila aquilam, perca percam; quà corpus, quà animam. Ergò eundem etiam effectum habuit benedictio in homine, utpote animali longè nobiliori.* In Cont. de Ort. A. R. p. 3.

VIII. Ita Dannhawerus: *Quàm latè patet benedictio Dei, tàm latè etiam generatio: at illa pro termino habet totum hominem. Ergò etiam hæc: probo minorem, quia Gen 8 v 17. benedictio illa ex æquo ad bruta, quàm ad hominem refertur, uti igitur ibi terminatur in toto composito, ita & hic.* Col Psych. Diss 6. p. 184. Ita Scharfius: *Sunt quidem hac de re variæ & diversissimæ Physicorum opiniones, sed nos certò statuimus, quòd formæ Physicæ à Deo conditore illam vim & efficaciam acceperint, ut possint semetipsas multiplicare, & semetipsas propagare secundum species suas. Et hoc manifestè constat ex cap. 1. Gen. v. 12. sq ex illâ prima benedictione divinâ rebus naturalibus factâ. Deus benedixit suis creaturis, illisq; vires generandi, fœtificandi & se multiplicandi concessit.* Ph. Rec. L. 1. c. 3. p. 106. Paulò post. *Quo posito tanquam primo fundamento facilè intelligitur origo formarum in generationibus physi-* P. 107.

 cis,

cis, nempè quòd forma oriatur sive producatur à formâ ejusdem speciei. Forma hominis anima rationalis in generatione hominis, producitur ex animâ parentum: sic in generatione canis anima oritur ex animâ generantis canis, &c.

Hyp. 4. c. 10. p. 292. IX. Ita Sennertus: *Communicare hominem soboli etiam animam, omninò Sacris literis etiam consentaneum est. Deus enim Genes. 1. v. 28. æquè homini ac reliquis animalibus benedixit, dicendo:* Crescite & multiplicamini: *cujus benedictionis vi totus homo totum generat hominem; quod non fieret, si anima extrinsecus infunderetur. Quicquid enim pertinet ad integritatem naturæ humanæ essentialem, id propagatur per generationem. Verùm non solum corpus, sed anima pertinet ad integritatem hominis. Ergò etiam anima per generationem propagatur.*

X. Excipere quædam conatur Adversarius, & ut faculam Soli accendamus petit. Præmittit autem quatuor Notas,

p. 58. quarum prima est, *in fontibus legi, fœtificate & multiplicate, quibus verbis non aliam quàm multiplicationem generativam à Deo intentam & creaturis injunctam fuisse: quia addidit Deus, replete aquas, & replete terram; & quia Adam genuit Cainum, Abelem, Sethum, & plures, filios & filias.* Sed nota hæc nihil nocet dictis. Imò, quia multiplicatio generativa injuncta est homini, & quia Adam genuit Cainum, non creatur, sed generatur anima humana. Si enim crearetur, generatio everteretur. *Ut aliquis filius*

p. 184. *dicatur*, inquit Dannhawerus, *juxta Armandum Bellovis. l. 2. c. 15. duo requiruntur, 1. ut generans & genitum sint intra naturam intellectualem. 2. ut genito communicet univocè eandem naturam. At si non generetur anima, sed solum corpus, nullâ ratione Seth erit filius Adæ.* Et Meisnerus ait: *Quæro, quis sit iste homo, qui trahi-*

p. 908. *tur ab Adamo? Constat homo ex corpore & animâ. Si ergò totus homo trahitur, utiq; non solum corpus, sed & anima trahetur ab Adamo. Atqui non trahitur anima, sed solum corpus. Ergò non trahitur homo. Corpus enim non est totus homo, sed pars hominis. Si igitur solum corpus ex Adamo trahitur, trahitur utiq; non homo, sed pars hominis, & quidem non nobilior, sed ignobilior.*

XI. Hinc invertimus argumentum. Quicunq; se multiplicare debent per veram generationem, non corpus tantùm, sed

ſed animam cumprimis, producere tenentur. Atqui homines ſe multiplicare debent per veram generationem. Ergò homines non corpus tantùm, ſed animam cumprimis, producere tenentur. Major patet, quia proximus generationis terminus forma eſt. *Forma eſt id*, inquit Adverſarius, *ad quod fit progreſsio in generatione, & ad quod terminatur actio generativa*. Item. Quicunque generare debent filios & filias, non corpus tantùm, ſed animam cumprimis, producere tenentur. Homines generare debent filios & filias Ergò homines non corpus tantùm, ſed animam cumprimis, producere tenentur. Major probatur, quia ut filius dicatur, requiritur 1. ut generans & genitum ſint naturæ intellectualis. 2. ut generans genito communicet eandem eſſentiam, quam in homine absq; humanâ animâ ne fingere quidem licet. Item. Quicunque totùm hominem generare debent, non corpus tantùm, ſed animam cumprimis, producere tenentur. Parentes totum hominem generare debent. Ergò parentes non corpus tantùm, ſed animam cumprimis, producere tenentur. p.16.

XII. Secunda Nota eſt, *rem ipſam in Sacris literis conſignari, non verò modum, quippè qui in ſuâ diſciplinâ poſtmodùm explicandus veniat: ſicut dicit Scriptura, luminaria quarto die creata dividere diem & noctem, quomodo autem id faciant, non exponit.* Iterum contra ſeipſum loquitur Adverſarius. Hoc ipſum eſt, quod aſſerunt Defenſores Traducis: rem dare Scripturam Sacram, hominem generare hominem, canem canem. Ad hominem verò requiritur anima humana & corpus humanum: ad canem anima canina & corpus caninum. Utrumque dat, qui hominem generat, qui canem generat. Contrâ: Quicunque hominis formam ſpecificam non producit, is hominem non generat. Parentes juxta Adverſarium hominis formam ſpecificam non producunt. Ergò parentes juxta Adverſarium hominem non generant. Major probatur, quia forma ſpecifica dat eſſe homini. Item. Quicunq; nullam hominis partem eſſentialem producit, is hominem non p.58.

gene-

generat. Parentes juxta Adversarium nullam hominis partem essentialem producunt. Ergò parentes juxta Adversarium hominem non generant. Major clara est, quia totum essentiale per partes suas tale est. Minor probatur, quia non producere parentes animam statuit: corpus verò sine vitâ vera hominis pars non est. Vivum vivas partes habet: has qui non dat, vivum non dat.

XIII Cum addit, modum in suâ disciplinâ explicandum esse, suo se jugulat gladio. In Physicâ generationis terminus proximus forma est, ultimus compositum. Argumentor: Quicunq; generant, illi etiam generationis terminum proximum producunt. Parentes generant. Ergò parentes etiam generationis terminum proximum producunt. Major per se clara est, & ex axiomate Physico desumpta: Forma est generationis terminus. Accedit Adversarii explicatio, quæ sic habet: *Id quod non aliter potest intelligi, quàm formam esse id, ad*
p. 15. *quod fit progressio in generatione, & ad quod terminatur actio generativa.* Minor probatione non eget. Item: Quicunq; generant, in ipso generationis actu novam substantiam producunt. Parentes generant. Ergò parentes in ipso generationis actu novam substantiam producunt. Major patet, quia generatio & corruptio sunt mutationes substantiarum. Substantia verò si producenda, nec ante, nec post, sed in actu generationis producenda est. Jam quænam illa substantia, in generationis actu producta? Activa generatio requirit passivam, quæ nulla alia, quàm productio formæ.

XIV. Cum scribit, Scripturam dicere luminaria dividere diem & noctem, quomodo autem id faciant, non exponere, fallit. Lumine enim ac motu suo Solem id facere, dum ab ortu ad meridiem, à meridie ad occasum, & ab occasu ad ortum tendit, apertè indicat. Si non in primo statim capite, tamen in aliis. Alia exempla vidisset, si voluisset. Solem calefacere ait Scriptura, modum non exprimit. Deum membra nostra in utero formare dicit: modum, an mediatè, an immediatè, inquirere nostrum est.

XV.

XV. Tertia nota est, *non aliter in naturâ fieri generationem, quàm Deus instituit & ordinavit.* Esto Quia ergò instituit Deus generationem non minùs in hominum, quàm brutorum genere; non minus etiam se multiplicant homines, quâm bruta. Hinc argumentum: Quo pacto Deus in naturâ fieri generationem instituit & ordinavit, eo pacto generatio fit. Sed hoc pacto, ut homo generet hominem, non minùs quam canis canem, Deus in naturâ fieri generationem instituit & ordinavit. Ergò hoc pacto etiam, ut homo generet hominem, non minus quàm canis canem, generatio fit. Major Adversarii est Minorem Scriptura docet, cum Benedictionem communem describit. Repeto verba Hofmanni: *Si in omnibus quæ generantur, generans dat genito totum, v. g. equus generat equum, asinus asinum, canis canem, & sic de cæteris, ita, ut ad perfectionem cujuslibet speciei non desit quidquam: cur homo sit infelicior equo, asino, cane? Quin natura ipsa si loqui posset, indignissimè se ferre clarissimis verbis testaretur, adimi sibi nobilissimam operationem, hoc est, generationem substantialem.* Alibi ait: *Omnibus conceditur substantialis generatio: & adimatur illa soli homini? Et cum in paradiso largiretur Deus Opt. Max. brutis id, ut sine novâ creatione possent multiplicare genus suum: largitio illa non attineat hominem quoq;?*

Lib. 2. de Gen. Hom. p. 32.

De Orig. For. p. 129.

XVI. Pergit Adversarius: *Non aliter instituit, quàm natura & conditio rerum generandarum admittit, vel illis congruum est. Nec enim fiunt res repugnante ipsis modo.* Nunc limites præscribit potentissimo Deo. Galenus, homo Ethnicus, quondam potentiam Dei ex naturæ limitibus æstimabat, & impudenter naturæ limitibus potentiam Dei coercebat. Idem Traducianorum Adversarius facit, cum postponit Deum naturæ, & ex naturæ viribus ad institutum & contra institutum Dei argumentatur. Audire debuisset Meisnerum, quem vocat Præceptorem suum desideratissimum. Ita hic: *Spirituales naturæ, si Deo placuerit, sese multiplicare possunt.* Placere autem Deo, probat è claris Benedictionis verbis. *Deus,* inquit, *in creatione primo homini, quemad-*

modum & reliquis animantibus omnibus benedixit dicendo : Crescite & multiplicamini, cujus benedictionis vi totus homo generat totum hominem, ita quidem ut ex semine corpus, ab animâ generetur vel potius traducatur & propagetur anima.

XVII. Ita ergò procedere debebat Adversarius: Quicquid Deus jussit, hoc factum est. Sed jussit Deus, ut homo generaret hominem, non minùs quàm equus equum. Ergò hoc factum est. Major constat, quia verba Dei sunt opera, & ut loquebatur Thummius, benedictio Dei non fuit γραμματική, sed πραγματική. Minor in textu est. Item: Quicquid jussit Deus, hoc ordinavit & instituit. Sed jussit Deus, ut homo generaret hominem, non minùs quàm equus equum. Ergò etiam ordinavit & instituit Deus, ut homo generaret hominem, non minùs quàm equus equum.

XVIII. At invertit negotium pro lubitu, hoc modo: Quicquid natura & conditio rerum generandarum non admittit, id Deus etiam non instituit. Atqui ut homo non corpus modò, sed & animam in generatione producat, natura & conditio rei generandæ non admittit. Ergò id Deus etiam non instituit. Pessima est Major illa, quæ priùs naturam vult examinari, antequam Dei omnipotentis jussa admittantur. Ipsa Dei vox naturam facit habilem, ut possit creatura, quod jussit creator. Quod qui non statuit, quid aliud agit, quàm ut cum Galeno clamet: *Affirmamus quædam à Naturâ fieri non posse, eaq; Deum ne aggredi quidem.* Ut verò pessima Major, sic & falsissima Minor est. Naturam nempè & conditionem rei generandæ non admittere, ut homo non corpus modò, sed & animam in generatione producat. Est quidem spiritus anima filii: sed & spiritus est anima patris. Generant hi & generantur, non quà spiritus, sed quà formæ. Formarum est, in generatione à genitoribus produci & introduci.

Lib. 2. de us. par. c. 14.

XIX. Pergit: *Hinc enata hæc Philosophorum dicteria; ut se res habet in esse, ita & in produci, & unumquodq; producitur ad modum suæ producibilitatis.* *Scilicet natura & essentia rei norma est*

&

& cynosura eorum quæ in re sunt. Ita de sensu dictorum Scripturæ judicat è dicteriis suis. Nota aliàs sunt axiomata Philosophorum: Ut se res habet in esse, ita & in operari. Modus operandi sequitur modum essendi. Quod desinit ab operatione, desinit ab esse. Quale esse, tale operari. Quæ omnia de essentiis & operationibus loquuntur. Divinam essentiam divinæ sequuntur operationes, angelicam angelicæ, humanam humanæ, elementarem elementares. Originem si spectes, judica ex essentiâ muris, an creatus sit, an generatus? an univocâ, an æquivocâ generatione? Eadem essentia est, in mure creato, in mure univocè generato, & in mure juxta istos æquivocè generato. Applicet dicteria sua, & formet argumentum. Ut se res habet in esse, ita & in produci. Mures creati, univocè & æquivocè generati, eodem modo se habent in esse. Ergò mures creati, univocè & æquivocè generati, eodem modo se habent in produci. Aut: Quæcunq; se non habent eodem modo in esse, illa etiam se non habent eodem modo in produci. Cœlum & terra se non habent eodem modo in esse. Ergò cœlum & terra se non habent eodem modo in produci.

XX. Aliàs dicimus, effectum testari de causâ suâ, & non posse effectum præstantiorem causâ esse. At ex effectu discere non possumus, quomodo productus sit. Causæ ipsæ inquirendæ & examinandæ sunt, inde patebit aut creatio, aut generatio. Ex generatione verò ut sic, de nobilitate & ignobilitate rei, nullum fieri potest judicium. Sicut nec ex creatione rei dignitas aut indignitas constat. Producibilitas, ut loquitur, jussum Dei sequitur, non verò jussum Dei evertit. Potestas Dei jubentis major est, quam res, & rerum producibilitates. Sine omni verò judicio addidit sequentia: *Natura & essentia rei norma est, & cynosura eorum quæ in re sunt.* Hæc quid ad originem? Estnè origo in re? Naturam & essentiam rei sequuntur affectiones quæ in re sunt, sed non origo quæ extra rem est.

XXI. Quarta Nota est, *Oraculum divinum de toto loqui, ut multa fiant animalia, & multi homines: consentire etiam illud physicum, quod generatio sit totius, & quod compositum sit ultimus & to-*

talis generationis terminus. Nunc fieri vult homines sine humanâ animâ, canes sine caninâ, asinos sine asininâ. Argumentor: Quicunque hominem sine humanâ animâ producit, is hominem non producit. Parentes juxta Adversarium hominem sine humanâ animâ producunt. Ergò parentes juxta Adversarium hominem non producunt. Quin bruta poterant informare pertinaces. Equus enim ob benedictionem divinam generat totum equum, quà corpus, quà animam. Quidni ob eandem homo generet totum hominem, quà corpus, quà animam? Argumentor: Quibuscunq; idem mandatum factum est, illis etiam idem mandati effectus competit. Hominibus & brutis idem mandatum factum est. Ergò hominibus & brutis idem mandati effectus competit. Aut dicendum impiè, Deum non posse dare, quæ promisit, quæ voluit, quæ jussit.

XXII. Physicum illud, quod consentire dicit, consentit sanè cum veritate, non cum falsitate, quam is defendit. Est nempè generatio totius, sed partibus inclusis, non exclusis. Est compositum generationis terminus ultimus, proximo non excluso, sed incluso. A proximo enim generationis termino ad ultimum natura tendit. Argumentor: Quicunq; parentibus generationis terminum ultimum concedit, proximum negat, is generare & non generare parentes asserit. Adversarius parentibus generationis terminum ultimum concedit, proximum negat. Ergo Adversarius generare & non generare parentes asserit. Adde, quod alibi habet, propositionem *Forma producitur à formâ ejusdem speciei*, explicare generationem univocam. Formo argumentum: Ubicunq; fit generatio univoca, ibi forma producitur à formâ ejusdem speciei. In hominibus fit generatio univoca. Ergò in hominibus forma producitur à formâ ejusdem speciei. Major est Adversarii. Minor etiam, omniumq; Peripateticorum. Stat ergò sententia, hominem ita generare hominem, ut anima filii producatur ab animâ parentum.

XXIII. Præmissis Notis traducem è dicto illo probari posse negat. Rationem habet, *quia de origine animarum & formarum*

marum illud per se & primò non loquitur, sed de generatione & propagatione per generationem. Nulla est ratio hæc. Etiam de origine corporum illud per se & primò non loquitur. Ergò nihil hinc probabitur? Dixit Deus ad homines: Crescite & multiplicamini. At non hinc probari potest, parentes filiis dare animam: non etiam, parentes filiis dare corpus. Ob rationem, quia dictum per se & primò nec de animâ, nec de corpore loquitur, sed de generatione. Totum essentiale hinc probatur, sed nulla essentialis pars. Generare debet homo hominem, sed sine animâ, sine corpore. Hæc illa interpretatio Scripturæ, contra Meisnerum, Gerhardum, Mentzerum, Thummium, & infinitos Theologos, ab accurato Philosopho facta. p.60.

XXIV. Loquitur autem, inquit, oraculum divinum per se & primò de generatione. Esto. Quid autem est generatio? Respondet: *Generatio est mutatio circa formam, & generatione fit nova forma introducenda. In instanti generationis forma generanda vel generatione acquirenda in materiam recipitur. Forma est id, ad quod intrinsecè terminatur generatio. Forma est id, ad quod fit progressio in generatione, & ad quod terminatur actio generativa.* Fiat applicatio. Quodcunque dictum primò & per se loquitur de generatione, illud indicat nobis formarum originem. Dictum illud, Crescite & multiplicamini, primò & per se loquitur de generatione. Ergò indicat nobis formarum originem. Major constat è generationis descriptionibus, ab Adversario factis.

p 19. p 23. p.32. p.16.

XXV. Pergit: *Nec enim ad literam habetur, neq; per consequentiam inde exstrui potest formarum sive animarum traductio. Neq; enim dixit Deus animabus, quod sese multiplicare debeant; sed ut multiplicentur animalia in speciebus suis per institutam generationem, voluit. Nec sequitur: Animantia debent fœtificare, & generatione fieri multa. Ergò animæ debent sese multiplicare & per traducem propagari.* Ita scilicet ob præconceptas falsas opiniones extenuanda Dei jussa sunt. Non etiam ad literam habetur corporum traductio. Non dixit Deus corporibus, Crescite & multiplicamini. Ergòne cõcludendum, nihil

 ex

ex hoc dicto probari posse, neq; corpus, neq; animam à parentibus oriri? Patet autem è dictis, per consequentias firmissimas extrui inde, & corporis, & animæ traductionem. Etiam ex his ipsis Adversarii verbis argumentamur: Quæcunque per generationem in speciebus suis se multiplicant, illa per generationem formas specificas producunt. Homo & bruta per generationem in speciebus suis se multiplicant. Ergo homo & bruta per generationem formas specificas producunt. Major ex naturâ generationis & multiplicationis juxta speciem constat.

XXVI. Pergit: *Nota quod dixi per se & primò; quia enim generationis terminus geminus est, 1. ultimus & totalis, ipsum puta compositum. 2. formalis & partialis, qui est forma rei genitæ, adeoq; generatio rei naturalis sine productione formæ non datur, hinc consequenter & implicitè formarum naturalium ortum, quantum ad rem in citato oraculo indigitari, dubium est nullum.* Nunc Traducianum habemus Adversarium nostrum. Non datur, inquit, rei naturalis generatio sine productione formæ, ergò consequenter & implicitè formarum naturalium ortum quantum ad rem in citato oraculo indigitari dubium est nullum. Concedit ergò originem formarum posse haberi ex hoc dicto. Jam verò, de quo loquitur dictum? De parentibus scilicet, quibus dixit Deus, Crescite & multiplicamini. A parentibus ergò oritur anima, propter hanc benedictionem. Generationis opus parentibus tributum est, istis verbis. Ad parentes ergò recurrendum, de animæ origine cum sermo est.

XXVII. Lubet comprehendere rem Syllogismis. Quicquid est proximus generationis terminus, illud non est creationis terminus. Anima humana in generatione hominis est proximus generationis terminus. Ergò anima humana in generatione hominis non est creationis terminus. Major per se manifesta, cum Creatio & Generatio opponantur. Minor dicta modò fuit ab Adversario. Item. Quicquid est proximus generationis terminus, ad id fertur & terminatur actio generantis. Anima humana est proximus generationis terminus.

Ergò

Ergò ad animam humanam fertur & terminatur actio generantis. Major per se clara, & ab Adversario posita est, p.16. Minor nunc etiam ab ipso dicta est. Item. Quicunq; formarum naturalium ortum generantibus adscribit, is creationem deserit. Adversarius formarum naturalium ortum generantibus adscribit. Ergò Adversarius creationem deserit. Major manifesta; si enim generans producit formam, generatur & non creatur. Minor patet, quia formam generationis terminum proximum facit, & ad eam terminari actionem generantis scribit.

XXVIII. Victus autem & convictus ne deprehendatur à quolibet, auxilium petit à voculis; *quantum ad rem*. Inquit, *Quantum ad rem, dico. Et hoc ideò, quia natura generationis, quæ à nutu creatoris pendet, id exigit. Nimirum ita lege naturæ cautum est. Res naturales generationis & corruptionis vicissitudini sunt subjectæ: Igitur in naturâ dabitur mutatio circa formas, quod nimirum in generatione acquiruntur & in corruptione abjiciuntur. Item: res naturales generantur; ergò earum formæ in generatione oriuntur & esse accipiunt, qualibet pro conditione suæ naturæ. Quantum verò ad modum, quo formæ in generatione oriuntur, & quo generatio naturalis absolvatur, eum S. literæ nullibi definiunt, sed ille in Philosophiâ naturali, ad quam negotium illud quasi amandatum est, explicatur, & ex formarum naturâ dijudicatur.* Tergiversatio hæc est, & perversio dicti. Quantum ad rem, jam erit hoc; formas oriri & acquiri in generatione, sed an per creationem, an per generationem, sciri nondum posse. Ita sciens & volens obloquitur veritati.

XXIX. In generatione formas oriri & produci, concedit. Quæritur, à quonam? Nonne à generante? Nonne ab iis, quibus dixit Deus, Crescite & multiplicamini? Quid est, esse terminum generationis? Respondet: *Non aliter potest intelligi, quam formam esse id, ad quod fit progressio in generatione, & ad quod terminatur actio generativa.* Ergò non tantùm in generatione, sed & per generationem à generante in ipso generationis actu formæ producuntur. Argumentor: Ad quodcunq; terminatur actio generativa, hoc generatione producitur. Ad

animam

animam humanam terminatur actio generativa. Ergô anima humana generatione producitur. Majorem novit, qui verba novit. Minor ipsius est. Porrò: Ad quod terminatur actio generativa, ad id non terminatur eodem respectu actio creativa. Ad animam humanam terminatur actio generativa. Ergô ad animam humanam non terminatur eodem respectu actio creativa. Major ex oppositione nota, aliàs quod generatur crearetur, & quod creatur generaretur. Minor ipsius est.

XXX. De termino generationis alibi hæc habet: *Forma rei generandæ est terminus generationis, h. est, id ad quod intrinsecè terminatur generatio, id nimirum quod generatione producitur.* Hinc immotum argumentum: Quicquid generatione producitur, id non creatur. Forma hominis generandi generatione producitur. Ergò forma hominis generandi non creatur. Excludit igitur proximus ille generationis terminus creationem, Et adeô excludit, ut non generet, qui non dat illum generationis terminum proximum. Ad rem ipsam, ad naturam generationis spectat, formæ productio & generatio.

XXXI. A nutu verô creatoris si pendet natura generationis, non ex naturâ formarum, sed ex verbis institutionis, judicandum de origine formarum. Major est Dei dicentis & jubentis potestas, quàm universæ naturæ dignitas. Non est opponenda, sed subjicienda, lex naturæ verbis DEI. Verba Dei sunt opera, non sine mente soni. Et quænam illa lex naturæ? Quænam illa Philosophi naturalis adversus jussa divina dicteria? Forsan efficient dicteriis suis, ut generans fiat non-generans, generatio non-generatio. Certiùs profectô, quàm Tradux non-tradux. Natura rei nihil detrahit origini, & origo nihil naturæ rei. Naturam nostræ animæ divinæ benedictioni qui opponit, verba Dei efficaciam tantam habere non posse temerè, si non impiè, asserit. De modo verò si vult instituere scrupulosam disputationem Adversarius, assumat suas propositiones, de formarum decisione, transvectione, translatione, promotione, & aliis. Res interim certissima est, hominem generare hominem, quà animam, quà corpus.

XXXII.

XXXII. Dicit porrò removendum esse argumentum sequens: Quicquid à creatore jussum fuit speciem sibi similem producere, id etiam formam specificam istius speciei producere tenetur. Animantia è terris & aquis producta à Creatore jussa fuerunt speciem sibi similem producere. Ergò animantia è terris & aquis producta etiam formam specificam istius speciei producere tenentur. Major probatur, quia id speciem producere nequit, quod non unà formam specificam producit; sine hac enim species non est species. Ut corpus facere sine materiâ, est panem facere sine farinâ, & somnium sine somno: ita speciem sine formâ specificâ, & v g. canem sine animâ caninâ, equum sine animâ equinâ, & quercum sine animâ quercus facere, est contra Dei jussum & mandatum, non canem, non equum, non quercum, & non speciem producere & generare.

XXXIII. Liceat examinare, quæ contra Syllogismum profert, quanquam non cõcernant animam rationalem propriè. Primò aggreditur conclusionem, dicitq; nõ concludi id, quod concludi debebat. Ita enim debuisse concludi: *Ergò animantia è terris & aquis producta formam suam specificam per traducem propagant.* Aliud enim esse propagationem per traducem, aliud productionem, nec illam hanc formaliter includere. Frustrà operam hanc opinor sumit. Si obtinetur Syllogismo, animantia formas specificas in generatione producere, quid laborandum amplius? Dicebat Adversarius: *Certè tradux ipsis fatentibus importat originem formæ generatione traducendæ, originem inquam, qua ipsa pendeat à generante, ut producente.* Si ergô probat Syllogismus id, quod tradux nobis importat, nonnè probat traducem? Immisceat nomen traducis Cõclusioni, cui nectere tautologias, cui definitum aut descriptum cum descriptione cõfundere lubido est. Propagationem autem per traducem non includere formaliter productionem, falsum est. Origo enim formæ producendæ propagatione illâ involvitur. p.62. p.4.

XXXIV. Secundò dicit, *conclusionem esse directè contra Scaligerum & Sennertum, qui formas non productione, sed divisione se multiplicare, expressis statuant verbis.* Injuriam facit tantis Viris. Ita Scaliger ait: *Forma, quæ ad id usq; momenti fuerat in* Ex.6.s.5.

agen-

agentis potestate, producitur ab ipso agente, sicut forma scamni à fabro; & sic actu ut sit, fit: atq; ab eo in materiam introducitur. En, Scaliger dicit formam produci ab agente. Sicut forma scamni à fabro producitur; ita produci etiam statuit Scaliger ab agẽte formam naturalem. Et totus in eo est, ut causam Efficientem formæ tribuat, materiam ex quâ tollat. Sennertus etiam cum eductionem formarum rejicit, hoc argumenti loco ponit, quòd non pateat ibi, quid agentis actio ad formæ productionem faciat. Falsum ergò est, conclusionem directè contra Scaligerum & Sennertum esse. De divisione verò quid sentiat Sennertus, verba sequentia monstrant: *Patet rectiùs dici, animam multiplicari, quod dividi. Cum enim nihil dividatur nisi quantum, quod habet partem extra partem, anima verò quanta non sit, nec habeat partem extra partem, propriè non dividitur, nec per se, nec per accidens.*

in Conf. & Dis. cap. 9. p. 39.

Hyp. 4. c. 6. p. 223.

XXXV. Tertiò dicit Adversarius, *se utramq; præmissarum, negare.* Ut ordinem servet, à Conclusione ad Minorem progreditur, & hanc è textu allegato probari non posse dicit, ut potiùs contra oraculum illud divinum sit, contraq; omnem rationem, & contra me ipsum. Probat, *quia Deus non jussit producere species, sed individua: ratio etiam dictitat, generationem non esse universalium, sed singularium: meipsum etiam alibi dicere, falsum esse, hominem gignere speciem*: ingens igitur dari discrimen inter hæc duo; generando producere speciem sibi similem, & generando producere sibi simile in specie vel secundum speciem. Ita se gerit, ut magis magisq; hæc de se nascens duplicetur opinio, quòd verba lancinet. Speciem sibi similem producere, in Majore & Minore nihil est aliud, quàm effectum ejusdem speciei, naturæ & essentiæ producere. Ut scilicet homo essentiam humanam producat, canis caninam. De harum enim naturarum conservatione sollicitus erat creator, cum generationis opus naturalibus rebus concederet. Estné hoc contra oraculum divinum, contra omnem rationem, contra meipsum? Vidisset mentem nostram, si voluisset. Ita D. Scharsius: *Quicquid generat per formam suam secundum speciem suam, id producit similem speciem, hoc est, tale effectum quod est ejusdem speciei cum generante.*

in Ph. Rec. p. 108.

XXXVI.

XXXVI. Et idem manet Syllogiſmus, etiamſi phraſis Adverſarii uſurpetur. Quicquid à creatore juſſum fuit, generando producere ſibi ſimile in ſpecie, id etiam formam ſpecificam iſtius ſpeciei producere tenetur. Animantia è terris & aquis producta à creatore juſſa fuerunt, generando producere ſibi ſimile in ſpecie. Ergò animantia è terris & aquis producta etiam formam ſpecificam iſtius ſpeciei producere tenentur. Eadem eſt concluſio, ex eodem nata medio termino. Nihil decedit rei, ſive iſta, ſive alia adhibeas vocabula. Neq; locutio illa, producere ſibi ſimile in ſpecie, ſingulare Adverſarii inventum eſt: ſed omnes ita loquuntur, & nunc hac, nunc iſtâ formulâ utuntur. In verbis ſimus faciles, modò conſtet de re.

XXXVII. A Minore ad Majorem deniq; ſe convertit. Ita habet: *Majorem deniq; nego: quæ certè operoſâ opus habet probatione; & nunquam fortè ſufficienter probabitur, ad ſui ſimilis generationem requiri, ut generans producat formam.* Mirabilis diſputandi proceſſus eſt. Reſpondet primò ad Concluſionem, ſecundò ad Minorem, ad Majorem denique. Et cum vis tota in Majore ſit, evertere eam debebat rationibus, ac monſtrare falſitatem. Pro ratione ſi ſunt, quæ attulit, formabitur Syllogiſmus: Quæcunque Major operoſâ opus habet probatione, & fortè nunquam ſufficienter probabitur, ea neganda eſt. Traducianorum Major operoſâ opus habet probatione, & fortè nunquam ſufficienter probabitur. Ergò Traducianorum Major neganda eſt. Ita ſcilicet convicti ſumus Syllogiſmo invicto Tria ſi ſufficiunt verba, reponimus hæc. Major ſi vera, manet argumentum: ſi falſa, monſtretur falſitas: illud fortè, dubitantis eſt, non aſſerentis, non probantis.

XXXVIII. Pergit: *Sed probationem Majoris videamus. Probatio petit principium, quia inquit id ſpeciem (ſpecie ſibi ſimile) producere nequit, quod non unà formam producit; hoc ipſum eſt, quod probandum eſt.* Hæc illa reſponſio ad probationem Majoris, digna expectatione. Major erat: Quicquid à Creatore juſſum fuit ſpeciem ſibi ſimilem producere, id etiam formam ſpecificam iſtius ſpeciei producere tenetur. Probatio erat: quia id ſpeciem producere nequit, quod non unà formam ſpecificam producit. Petitne hæc probatio principium? Formabo argu- p. 63.

men-

mentum: Quicquid dat esse speciei, sine eo non potest produci species. Forma dat esse speciei. Ergò sine forma non potest produci species. Probandané Major est? Probandum deniq; principium, non posse aliquid simul esse & non esse. Interim videbunt intelligentes ad summas redactum esse angustias Adversarium.

XXXIX. Pergit: *Quæ subjungit Sperl vera quidem sunt, sed ipsum non juvant, ut potius ipsi obsint. Quando enim struitur consequentia, tunc Minore existente vera, Major petit principium. Sit Syllogismus: Sine quocunq; species non est species, id ille qui speciem (simile in specie) generat, debet producere. Atqui sine forma specificâ species non est species. Ergò. Major, ut dixi, nulla est.* Dicere autem non sufficit. Qui negat consequentiam Majoris, nec monstrat ubi forma discursus laboret, nugas agit. Ipsa naturalis Logica quemlibet informat, non posse consequentias negari absq; ulla ratione. Tamdiu manet Major, donec data fuerit ratio, cur non procedat. Et contextus monstrat, non simpliciter sic formari debere argumentum: Sine quo aliquid non potest esse quocunq; modo, id producitur ab efficiente. De esse specifico loquimur, & ita procedimus: Sine quo species non est formaliter, id ille qui speciem producit, dare debet. Aut; Quicquid speciei dat esse formaliter, id ille qui speciem producit, dare debet. Pertinacis foret negare propositionem sine ullâ adjecta ratione.

XL. Pergit: *Simile aliàs est optimum, sed malè huc applicatur. Ut enim non sequitur: panis non potest fieri, nec esse sine farinâ; insomnium non potest fieri, nec esse sine somno; ergò quæ est causa insomnij, est quoq; causa somni: ita quoq; non sequitur: corpus non potest fieri nec esse sine materia. Ergò qui efficit corpus, efficit & materiam; nec etiam sequitur; genitum e. g. homo, non potest esse, nec fieri sine anima rationali. Ergò qui generat hominem, efficit animam rationalem &c.* Sunt objectiunculæ, quibus ludit operam. Sanè non est opus, ut pistor fiat molitor. Pani non dat esse formale farina, sicut homini anima rationalis, sicut speciei cuivis specifica forma. Contra Adversarium ergò valet ratio, hoc modo: Quicunque panem efficit, is panis formam

efficit:

efficit: Et, qui panis formam non efficit, is panem non efficit. Qui calceum facit, calcei formam efficit: Et, qui calcei formam non efficit, is calceum non facit. Qui vestem facit, vestis formam efficit: Et, qui vestis formam non efficit, vestem non facit. Modo non absimili: qui hominem efficit, hominis formam efficit. Qui canem generat, canis formam generat: Et, qui canis formam non generat, canem non generat.

XLI. Idem processus est, in exemplo altero. Somnus non dat esse formale insomnio: aliæ igitur hujus causæ, aliæ istius sunt. Species & propria ratio somnii imago est: hanc ergô qui dat, somnium facit; qui non dat, nec somnium dat. Sic in tertio exemplo, qui producit corpus, omninò etiam formam substantialem producere tenetur, quæ dat esse corpori. Materiam verò ut sic, non producit: producit tamen eam, quà talis, seu certo modo disposita est. Quippè sine quâ dispositione, ne forma quidem datur. Perpetuum ergò est, ut formam producat, quicunq; rem producere tentat: formam naturalem, in re naturali: formam artificialem, in re artificiali.

XLII. Aliàs Tilenus, Timplerus, & alii, iisdem usi sunt exceptionibus. Responsum à Theologis dudum est; non nisi ea quæ Thummius reposuit adjungam. Proponit argumentum: Qui non producit formam hominis, is non producit hominem: homo enim sine formâ suâ, quæ est anima, non est homo: Atqui parentes non producunt formam hominis: Ergô nec hominem. Excipi hîc ait à prædictis scriptoribus, autorem compositi nô esse debere autorem partium essentialium: peccari ergò 1. Physicè: naturam enim quando agat & producat aliquid, non producere aut causare materiam: 2. Mechanicè, seu in voluntariè agentibus: opificem enim semper materiam accipere â naturâ, in eamque formam artificialem introducere, & tamen nihilominus dici totiùs operis effectorem. E. g. Figulum dici totam ollam efficere: sutorem calceum: architectum domum: Ergò eadem etiam ratione hominem dici hominem generare, etiamsi anima rationalis non propagetur ab ipso. p. 93.

XLIII. Diluit exceptionem hanc Thummius his verbis:
p.94. *Respondemus committere istos crassissimum Elenchum consequentiæ. Nam in exemplis ab utrisq; prolatis fatentur, formas produci tùm à naturâ, tùm ab artificibus; at propterea & natura & opifex dicuntur effectores rerum ipsarum; quod secùs fieret, si ab ipsis forma non produceretur. Invertimus potius argumentum: natura & opifex producunt formam, ergò & homo generando hominem, cum is per naturam gignendo prolem producat, atq; in hac sua actione artem opificiariam longissimè superet.*

XLIV. Pergit Adversarius: *Solent sic procedere in hoc negotio: Si totum Physicum habet ortum per generationem, ergò etiam ejus partes. Atqui prius est, uti pro explicatione Oraculi divini dictum fuit. Ergò quoq; erit posterius. Fundamentum in eo est, quia quicquid dicitur de toto, id quoq; dicitur de ejus partibus. Resp. collectio nulla est; nullum est fundamentum. Potius ita Regula constituenda: non omne id, quod prædicatur de totò, prædicatur de qualibet ejus parte.* Sciunt optimè defensores traducis, non semper de partibus dici, quæ de toto dicuntur. Sciunt, non procedendum esse hoc modo: Quicquid dicitur de toto, dicitur de partibus. De toto homine dicitur mors. Ergò & de partibus. De toto homine dicitur visibilitas. Ergò & de partibus. Sed & illud sciunt, *posito toto essentiali, necesse esse poni partes essentiales.* Ex hoc ergò Canone argumentantur: Quicunque totum hominem producit, ille partes etiam essentiales hominis producit. Parentes totum hominem producunt. Ergò parentes etiam partes essentiales hominis producunt.

XLV. Hinc Meisnerus ait: *Quæro, quis sit iste homo, qui trahitur ab Adamo? Constat homo ex corpore & animâ. Si ergò totus homo trahitur, utiq; non solùm corpus, sed & anima trahetur ab Adamo. Atqui non trahitur anima, sed solum corpus. Ergò non trahitur homo. Corpus enim non est totus homo, sed pars hominis. Si igitur solum corpus ab Adamo trahitur, trahetur utiq; non homo, sed pars hominis, & quidem pars non nobilior, sed ignobilior.* Sennertus inquit: *Quicquid pertinet ad integritatem naturæ humanæ essentialem, id propagatur per generationem. Verùm non solùm corpus, sed & anima pertinet ad integritatem hominis. Ergò etiam anima per generationem propagatur.* Hæc erant argumenta, quæ urunt animos obstinatos.

(Margin notes: p.908. — Hyp.p.293.)

Præstantissimo atq; Literatissimo

Dn. Respondenti, de Formarum Traductione disputanti, Amico dilecto.

Controversa nimis formæ, *sed vera propago est,*
Quam catè nunc præsens monstrat acuta Thesis.
Laudo tuum, Lysmanne, *ausum, sic pergito pugnam.*
Succedent studiis præmia digna tuis.

Gratulab. approp.

Johannes Scharfius Th. Doctor
& p. t. Colleg. Phil. Decanus.

EXIMIO ATQUE PRÆSTANTISSIMO

Dn. JOH. GABRIELI LYSMANNO, Philosophiæ Candid. & SS. Theol. Stud. Laudatissimo &c. Amico singulariter dilecto.

Quam vellem, LYSMANNE, TUIS jam pangere carmen
possem nunc meritis, pluteum quod cædat acumen
ingenii aut spiret docti, sapiatve recenter
ungues demorsos: Etenim sic inclута virtus,
mores ingenui, & , flammâ morientis olivæ
attestante, TUUM Studium, labor entheus, ipsos
quo superare cupis Proavos & vota Parentis,
dudum promeruit. Verùm nimis arida vena
obstat nunc ausis: Hinc saltim pectore votum
devotum promo; Subeas hæc prælia lætus,
conatus pulcros eventu JOVA secundet
optato, maneatque TUOS laus ampla labores!

Sinceri amoris test. gr. gratulab. mittebam

M. Joh. Ern. Gerhard.

Spiritus est Animus generari nescius, ajunt:
Sed dic produci; res cadet omnis eò.
Ante fuit nunquam qui filius incipit esse:
Incipit, utiliter dum coit, esse Pater.
Non animas celebres educit materiæ fæx:
non aget aut poterit gignere, cujus agi.
Noster Sperlingus Witebergæ monstrat id hosti
quem LYSMANE colis, sicut egoq; sequor.
Tradux non. Tradux Physicis contemnitur ergo.
Ens non-ens secum stare nec esse queunt.

M. Johannes Heinzelmanus.

Quæ qualisque animæ dicatur vera propago,
Tu, Lysmanne, Patris culta propago doces.
Tradux non-tradux tibi sordet, sordet Abaddon,
Gratus Aristoteles, sed mage vera placent.
Intrepidè quare falsis tu vera repurgas,
Et lites resecans das bene ferre pedem.
Nobile judicii decus en SPERLINGIUS adstat,
Quem sequeris, quo tu sic præeunte potes.
Applaudo merito: succedant singula votis
Prosperiora tuis, uberiora meis.

Virtute & eruditione Præstantissimo
Dn. Lismanno amico ac commensali
suo colendo haecce apposuit
Frid. Brunken/Oldenb. Frisius.

IN Cathedram rursus Te pulchris ausibus infers,
Gratulor his ipsis, Dulcis, Amice, Tuis.
Perge, laboranti succedent præmia digna,
Præmia, quæ referet Noster Apollo Tibi.

Gratul: suo suavissimo Dn. Populari
Amico fraternè dilecto f.
Fridericus SchErErtz Lunæburgensis.